

Cœlestinus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Domino Abbati S. Iustinae, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris religionem suam professis . . . . . Quoties a nobis petitur quod religioni, & honestati convenire dignoscitur animo nostro decet libenti concedere, & juxta petentium veritatem consentaneum rationi congruum suffragium impertiri. Ea propter in Domino dilecti filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium S. Justinæ, in quo divino estis obsequio mancipati, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio constituimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasti . . . . . qui secundum Deum, & B. Benedicti regulam in eodem loco noscitur institutus perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Propterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in presentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus, & libera permaneat, in quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis, locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est cum possessionibus, familiis, hominibus, & juribus ad ipsum pertinentibus, Monasterium S. Stephani de Alexandria cum omnibus possessionibus, decimis, & primitiis suis, Ecclesiam S. Michaelis in eadem Civitate constructam cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Salvatoris de Ritorto, Ecclesiam S. Mariæ de Berio (1), Ecclesiam S. Nicolai de Cannova cum omnibus pertinentiis earum, Ecclesia S. Michaelis de Puzol, Ecclesiam S. Justinæ de Danavetæ, Ecclesiam S. Benedicti de Coloniga, Ecclesiam S. Justinæ de Pertice cum omnibus pertinentiis earum, possessiones, & omnia jura, quæ habetis in vico Sezadii, jus quod habetis in Ecclesia S. Mariæ in ipso vico constructæ, decimas quartum, & fictum in eodem loco, Ecclesiam S. Jacobi de Castronovo cum pertinentiis suis quidquid habetis in uno Carpeneto, & in altero, & in Borio (2), in Castronovo, & in Fontanigallo, in Ritorto, in Danaveta, & in Perticis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, vel sumtibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos, & absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli ex fratrum vestrorum post factam in Monasterio professionem fas sit nisi meliore religione obtenta de eo absque Abbatis sui licentia discedere. Discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Chrisma vero, vel oleum sanctum consecrationes altarium,

seu basilicarum ordinationes monachorum, vel clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi a Diocesano suscipiatis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem Sedis Apostolicæ habuerit, & gratis vobis, & sine pravitate aliqua voluerit exhibere; alioquin liceat vobis Catholicum quemcumque malueritis adire Episcopum . . . . . & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui sua fultus auctoritate vobis quod postulatis impendat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis exclusis excommunicatis, & interdictis non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare. Interdicimus etiam, ut nulli liceat in vos, vel Ecclesiam vestram sine mandato Romani Pontificis excommunicationis, vel interdicti sententiam ferre seu novis, & indebitis molestationibus fatigare. Præterea & immunitates antiquas, & rationabiles consuetudines Monasterio vestro concessas, & hætenus observatas ratas habemus, & perpetuis temporibus illæsas permanere sancimus. Sepulturam præterea ipsius Monasterii liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora mittuntur. Obiunte vero ex nunc ejusdem loci Abbate, vel suorum quilibet successorum nullus in qualibet subreptione astutia, seu violentia proponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut fratrum majori parte consilii sanioris, & secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, eximere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & in prædictis Ecclesiis Diocesanorum Episcoporum consuetas. Ad inditium autem hujus perceptæ a Sede Apostolica libertatis bisanzium unum nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvete. Siqua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam scienter contra eam venire temere temptaverit secundo . . . . . commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat a Sanctissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic bonæ actionis meritum percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Subscriptum signatum sub sigillo Pontificatus. Ego Cœlestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Albinus Albanensis Episcopus. Ego Joannes Prænestinensis Episcopus. Ego Landulfus Præbiter Cardinalis Basilicæ XII. Apostolorum. Ego . . . . . S. Johannis, & Pauli Præbiter Cardinalis. Ego H. S. Clementis Cardin. Tuscanens. Ego Romanus tit. S. Anastasiæ